

tantam pecuniæ insumptam vim , ingentes in Italorum Prin-
cipum animis injectas suspicione eo evasisse , ut inanum ver-
borum decertatione jam comprimi motus posse , plerique cre-
derent . Sed cum nihil , quo ambobus satisficeret , occurreret ,
nusquam rei exitus inveniebatur ; Sabaudusque militari virtute
accensus , omni spe pacis abjecta , cuncta ad bellum me-
ditabatur . Interceperat enim Philippi ad Mendozzam literas ,
quibus Carolum , quacumque ratione posset , coercere atque
opprimere , neque prius de pace agere , quam regiis obtem-
perasset petitionibus , jubebatur . Mendozzam quoque damna-
bat , quod e Subalpinis in Insubres cum exercitu se recepi-
set , munitione intra regios fines erecta , operæ precium se
fecisse existimans ; Hastam , infirmum sane Caroli oppidum
non oppugnasset ; Niceam non tentasset ; exercitum otio ac
desidia torpere sivisset . Quapropter , ut regium decus aliqua
in parte sarcire egregio aliquo facinore niteretur , hortabatur :
nonnulla quoque iisdem literis occultis conscripta notis con-
tinebantur . His adeo Sabaudus inflammabatur , ut opes , im-
perium , vitam denique ipsam pro sua retinenda dignitate ef-
fusurus videretur ; literasque ipsas ad omnes Europæ Princi-
pes perferri , scriptumque typis evulgari mandavit , quo , quæ-
cumque ab horum turbinum initio gesserat , multis rationibus
tuebatur : acerrime in Hispanos atque Mediolani gubernato-
rem præsertim invehebatur . Acriter quinetiam de Cæsaris mi-
nistris , deque Francisco Castilioneo , qui imperialis proscrip-
tionis diploma sibi indixerat , conquerebatur : in quo satis
callide se Carolus gesserat . Cum enim Castilioneus , qui
illi Cæsaris nomine postremæ denunciationis mandata affer-
ret , ignotum quemdam hominem misisset , isque nil simile
Carolo cogitanti , alio obtenu , literas ingessisset ; eum in
carcerem conjici jusserset , seque mandata minime accepisse
dissimulavit ; literasque latino sermone iisdem typis ad Cæ-
farem scriptas emisit , quibus in illius ministros , ab Hispanis
corruptos , culpam omnem conferebat , suamque in eum ob-
servantiam multis argumentis probare adnitezebatur .

Dum hæc in Italia fiunt , Galliæ Regina marchionem Sy-
lerium in Hispaniam ad Philippum legatum miserat ; qui re-
gie Madriti exceptus , de connubiis celebrandis , conjugibus-
que

*Philippi
Regis literæ
a Sabando
interceptæ.*

*Sabaudi
Ducis cal-
liditas. n.
Cæsaris ob-
nunciatione
vitanda.*